

*Q. D. B. V.*

THOMAS WEINRICHIIUS

IN

# THOMAITIGIO

REVIVISCENS,

CUM

OPTATUS HIC NEPOS,

EX ÆDIS THOMANÆ MINISTERIO

AD NICOLAI TEMPLUM VOCATUS,

VITÆ SOCIAM CAPERET

## SOPHIAM ELISABETHAM

SULTZBERGERIAM,

NATAM BOESCHIAM,

*d. XVI. Febr. M DC LXXXV.*

EXPRESSUS


VEL OSTENSUS

AMICO ET VOTIVO CALAMO

CHRISTIANI WEISII, GYMN. ZITT. RECT.

LIPSIAE,

Literis JOHANNIS GEORGI



**T**HOMÆ ITTIGIO gratulandum est,  
Eo magis, quod diu passus est deberi Gratulationem.  
Dignus PARENTE Filius,  
Dignior AVO Nepos  
Dignissimus erat, qui jam haberet Filios, speraret Ne-  
potes.


Sed THOMÆ THOMAS imperaverat solitudinem,  
Donec recens Sponsus in eo conspiceretur Templo,  
quod olim viderat THOMAM VVEINRICHIIUM.  
In amico hoc limine cognovit,  
cur hodiernum laudari debeat tanti Nepotis Avus,  
& cur Avum non dissimilem ipse jubeatur polliceri Posteris.

*O sit fœcundus Amor,  
qui plures Orbi promittit Ittigios,  
ac cito votis respondeat,  
quem multi voluissent respondere citius.  
Reviviscat in Eo VVEINRICHIIUS,  
Nec mortale quid in thalamo sentiat,  
Nisi denuo vivant, & bene vivant alii.*

Sed GRIEBNERI Successor,  
In Amorem succedit haud omnino diversum.  
Amaverat Ille BOESCHIAM Virginem,  
Hic in BOESCHIANA Domo natam Viduam.  
Utrisque placuit, quod in conspectu Templi Thomani esset edu-  
catum,

Ut felicius redderetur alteri Templo.  
*O discat a Griebnero Felicitatem,  
A se ipso Constantiam.  
Fecit illa Virgo Viduum;  
Hæc, impleta viduitatis lege,  
Luctum abesse jubebit à Marito.  
Consumpsit lachrymas sibi destinatas,  
Ut sincero nunc fruereetur gaudio.  
Libenter vixit sola,  
Ut jam libentius viveret Conjuncta.*

Fal-



Fallor? an hic latet augurium?

A Concionibus pomeridianis vocatus ad matutinas,  
a Die Solis ad diem Veneris,  
domesticum quærit Phosphorum.


Siquidem Stella matutina Venus est.

*O liceat Theologo nominare Venerem,  
qualem ipse probat Stella matutina Conditor.  
Fruatur Adjutorio matutino,  
Qui nunquam tarde procedit ad opus Domini,  
Nec evanescere doleat Hesperum,  
Qui languentibus saepe offert curam vespertinam.  
Elucescat e sacra hac Venere Mysterium magnum,  
Ubi Christus Sol, Ecclesia Venus est,  
Quin & ipse matutinus Concionator  
Lucendo, scintillando, fulgurando præstet Auditoribus,  
quod Venus in Cælo peregrinantibus:  
Memor unicum sibi dari officium, Veneris.*

Interim quid faciet Bibliotheca,  
Quam Sponsæ loco semper amplexus est Ittigius?  
Gaudebit se moveri pristinis sedibus  
Ut, excusso Solitudinis pulvere,  
nitidior excipiat Amoris sociam.  
Divisis pensis altera placendo vincet alteram.  
Totum afferet ipse animum ad Libros;  
Totus erit in Dilectæ animo;  
Ut solent, quorum Virtus nunquam est dimidia,

*O fulgeat semper integra felicitas,  
Amori faces subdat Eruditio,  
Eruditionem foveat Amor,  
Et tantum Sponsus nunc placeat in Familia,  
quantum placuit Ecclesiæ & Academia.  
Amplectatur ipsa Virum plurimis amabilem,  
Felix si amando & superetur & superet.  
Felix si Libris addat Liberos,  
Qui gloriam hanc librariam continuent.*

Cæ



Cæterum Eruditus Sponsus erudita capiat Gamelia,  
Imo, quod jam accepit, denuo sibi donari intelligat.

ROSTOCHII collegit Rosas:

Fortunam habeat Roseam.

ARGENTORATI studuit Liliis,

sed pristino tum candore conspicuis:

Felici gaudeat Albedine.

LIPSIÆ sub Tiliis flores in sertum composuit:

Omen retineat Viriditatis.

Vireat Spes; Rubeat Amor; Albicet Prosperitas.

Sit viridis undiqvae Fœcunditas,

Sit rubicunda Maturitas,

Sit candida Serenitas.

*Ista precatur Amicus, olim industriae testis,*

*Nunc meritorum gratulabundus admirator.*

*Qui, quod Ittigio nunquam reconciliatus est,*  
*ne quando Sponsa ipsi reconcilietur, exoptat.*

*Sit letus in Connubio,*

*qui tristem nescivit amicitiam;*

*Experiat in toro blanditias,*

*qui gravis aut molestus fuit nemini.*

*Tandem qui aliquo loco apud se voluit esse VVeisum,*  
*ut vinculum sit hereditarium, efficiat.*

Maximum vero Fructum sibi sumat LIPSIA,

diuque spectet THOMAM,

sive ITTIGIUM sive VVEINRICHIIUM.

Nam utroque Nomine eadem signatur Virtus,

*Nos gratulamur,*

*Ipsi faciunt officium,*

*DEUS dabit incrementum.*

